

# Anselmi Cantuariensis

## Proslogion

### Quod vere sit Deus

Ergo Domine, qui das fidei intellectum, da mihi, ut, quantum scis expedire, intelligam, quia es sicut credimus, et hoc es quod credimus.

Et quidem credimus te esse aliquid quo nihil maius cogitari possit.

An ergo non est aliqua talis natura, quia “dixit insipiens in corde suo: non est Deus”<sup>1</sup>?

Sed certe ipse idem insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico: “aliquid quo maius nihil cogitari potest”, intelligit quod audit; et quod intelligit, in intellectu eius est, etiam si non intelligat illud esse.

Aliud enim est rem esse in intellectu, alium intelligere rem esse.

Nam cum pictor praecogitat quae facturus est, habet quidem in intellectu, sed nondum intelligit esse quod nondum fecit.

Cum vero iam pinxit, et habet in intellectu et intelligit esse quod iam fecit.

Convincitur ergo etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid quo nihil maius cogitari potest, quia hoc, cum audit, intelligit, et quidquid intelligitur, in intellectu est.

Et certe id quo maius cogitari nequit, non potest esse in solo intellectu.

Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re; quod maius est.

Si ergo id quo maius cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum quo maius cogitari non potest, est quo maius cogitari potest.

Sed certe hoc esse non potest.

Existit ergo procul dubio aliquid quo maius cogitari non valet, et in intellectu et in re.

### Quod non possit cogitari non esse

Quod utique sic vere est, ut nec cogitari possit non esse.

Nam potest cogitari esse aliquid, quod non possit cogitari non esse; quod maius est quam quod non esse cogitari potest.

Quare si id quo maius nequit cogitari, potest cogitari non esse: id ipsum quo maius cogitari nequit, non est id quo maius cogitari nequit; quod convenire non potest.

Sic ergo vere est aliquid quo maius cogitari non potest, ut nec cogitari possit non esse.

Et hoc es tu, Domine Deus noster.

---

<sup>1</sup>Ps 13,1; 52,1.

Sic ergo vere es, Domine, Deus meus, ut nec cogitari possis non esse. Et merito.

Si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super creatorem et iudicaret de creatore; quod valde est absurdum.

Et quidem quidquid est aliud praeter te solum, potest cogitari non esse.

Solus igitur verissime omnium et ideo maxime omnium habes esse, quia quidquid aliud est, non sic vere, et idcirco minus habet esse.

Cur itaque "dixit insipiens in corde suo: non est Deus"<sup>2</sup>, cum tam in promptu sit rationali menti te maxime omnium esse?

Cur, nisi quia stultus et insipiens?

## **Quomodo insipiens dixit in corde, quod cogitari non potest**

Verum quomodo dixit in corde quod cogitare non potuit; aut quomodo cogitare non potuit quod dixit in corde, cum idem sit dicere in corde et cogitare?

Quod si vere, immo quia vere et cogitavit, quia dixit in corde, et non dixit in corde, quia cogitare non potuit: non uno tantum modo dicitur aliquid in corde et cogitatur.

Aliter enim cogitatur re, cum vox eam significans cogitatur, aliter cum id ipsum quod res est intelligitur. Illo itaque modo potest cogitari Deus non esse, isto vero minime.

Nullus quippe intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licet haec verba dicat in corde, aut sine ulla aut cum aliqua extranea significatione.

Deus enim est id quo maius cogitari non potest.

Quod qui bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse.

Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare.

Gratias tibi, bone Domine, gratias tibi, quia quod prius credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante, ut, si te esse nolim credere, non possim non intelligere.

---

<sup>2</sup>Ps 13,1; 52,1.